

non tamen ex hoc sequitur quod spiritus sanctus debuerit incarnari.

In dominica secunda cantatur euangelium. Erant signa in sole et luna. Luc. xxi. In quo quod tangit de aduentu christi ad iudicium. possunt disputari sequentes questiones. Prima est. Utrum generale iudicium sit futurum. Secunda. Utrum omnes iudicandi in iudicio videbunt filium hominis. id est christum in forma humana gloriosa iudicantem. Tertia est. Utrum signa que assignantur in lectione euangelii precedant iudicium. Quarta est. Utrum tempus futuri iudicii potest determinate sciri ab aliquo homine.

De primam questionem qua queritur. Utrum generale aut vniuersale iudicium futurum sit. proceditur sic. Et videtur quod non. Primo sic. Namque dicitur secundum aliam litteram. Non iudicabit deus in seipsum sed nunc deus iudicat de singulis hominum operibus. cum post mortem unicuique penas vel premia pro meritis tribuit. ergo non videtur quod aliud sit iudicium futurum expectandum. Secundo sic. In nullo iudicio executionis sententia precedit iudicium. sed sententia diuini iudicii quo ad homines est de reprobatione regni vel exclusionem a regno. ut patet. Math. xxv. ergo cum modo quidam adipiscantur regnum eternum. Unde dominus latronem in cruce dixit. Hodie mecum eris in paradiso. Luce. xxiii. Et quidam excludantur ab ipso perpetue. Unde Luce. xxi. dicitur. Adortus est diues et sepultus est in inferno. ergo frustra expectat aliud iudicium futurum. Tertio sic. Propter hoc aliqua in iudicium oportet adduci quia dubium est quid de eis iudicandum sit. sed ante finem mundi determinata est unicuique damnatorum sua damnatio et cuiusque sanctorum sua beatitudo. ergo videtur quod non oporteat aliquod futurum iudicium esse. Oppositum colligitur ex presenti euangelio. Colligitur etiam ex illo Iohan. xxi. Sermo quem locutus sum vobis. ille vos iudicabit in novissimo die. Respondetur dicendum sub ista conclusione. quod generale siue vniuersale iudicium futurum est. in quo christus iudicaturus est omnem hominum multitudinem. Ista conclusio est. Primo articulus fidei. quod de christo ait. Iteque venturus est iudicare viuos et mortuos. Secundo patet ex illo Iob. v. Proceperunt qui bona egerunt in resurrectionem vite. qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii. ergo post resurrectionem aliquod futurum est iudicium. Ratio vero sic ostendit predicta conclusio. Pro quo notandum iuxta sanctum Thome. quod sicut operatio pertinet ad reprobationem quo producantur in esse. ita iudicium pertinet ad terminum quo res ad suum finem perducit. Distinguitur autem duplex rei operatio. Una que primitus res in esse producit. instituens naturam et distinguens ea que ad completum ipsius pertinent. a quo quidem opere deus dicitur quiescere. Gen. ii. Alia eius est operatio qua operatur in eius gubernatione creaturarum. De qua Iohan. v. Pater meus usque modo operatur et ego operor. Ita etiam duplex eius iudicii dicitur. ordine tamen conuerso. Unum quod respicit operi gubernationis que sine iudicio esse non potest. per quod quidem iudicium unusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur. non solum secundum quod sibi competit. sed secundum quod competit gubernationi vniuersi. vnde dicitur.